
PAMFLET
11687

CHRISTOPHORI WITTICHII

ORATIO FUNEBRIS

in Obitum

Magni & Incomparabilis Theologi,

ABRAHAMI HEYDANI,

Senioris in Acad. Lugd. Batavâ
Theol. Professoris,

Dicta post funus deductum Lugduni Batavorum
a. d. XX. Octobris CIↃ IↃC LXXVIII.





LUGDUNI BATAV.
Apud ARNOLDUM DOUDE. 1679.

AD

Clarißimum Doctissimumque Virum,

D. CHRISTOPHORUM WITTICHIUM,

S. S. Theol. Doctorem, & in Alma Acad. Lugduno-Bat. Professorem Laudatiss.

Sinceræ Pietatis & Modestiæ singularis magnum Exemplum, τῷ πάνυ *HEIDANO*

In confertissima omnium Ordinum Honoratorum Virorum Panegyri pathetice parentantem.

Quem tanto Vivum semper dignatus honore es,
Mortuus is merito non reticendus erat,
Quem mirata fuit quondam Battavia Mater,
Atque suum coluit Filia Leyda decus,
Quem Schola Doctorem, Pastorem Ecclesia plorans
Ingemit in Cathedris jam siluisse suis,
Solus Wittichius potis est laudare, nec alter
Debuit in tanto Funere justa loqui.
Ah durum munus, fateor, non mollia fandi
Tempora, quæ raro sint reditura precor.
Vivite Battavicæ Clarißima Lumina Terræ,
Turbet Doctorum nullaque Parca Chorum!
Vivat Wittichius, raræ pietatis imago,
Longa Viri volitet Fama per ora Virûm!
Nam qui tam doctè potuit laudare, meretur
Laudari, & cuncta posteritate coli.

Ex Muséo Catvici ad Rhenum & Sandæ.
XII. Kal. Januarias cIɔ Iɔc LXXIX.

A. Pars.

Magnifice Rector, Illustres Urbis Leydensis Proceres, Admodum Reverendi, Consultissimi, Expertissimi, Clarissimi Professores, Collegæ honorandi, Filii, Affines, Consanguinei piè defuncti mœstissimi, Præcones & interpretes Verbi divini solidissimi, vigilantissimi, Doctores omnium facultatum præstantissimi, hospites omnium Ordd. Spectatissimi, tuque studiosæ juventutis corona lectissima.



SI locus ex cathedrâ & subselliis atque solitâ coronâ Studiosorum circumsistentium sit æstimandus, fateor, hunc quem recitationibus Theologicis quotidie soleo implere, mihi non videri posse inconsuetum: at si intueor ora tot Virorum, omnigenâ eruditione, sapientiâ, prudentiâ conspicuorum, qui undique convolârunt, ut quâ Oratione Magni HEYDANI, cujus funus paulò ante extulimus, Manibus justa facerem, intelligerent,

hujus loci rationem planè mutatam, dicere possum. Hoc me non potest non confundere, præsertim, si me ipsum excutiam, & quàm non sim instructus iis artibus, quæ ab Oratore desiderantur, mihi meæ in dicendo tenuitatis testetur conscientia. Hæc terrorem mihi incutere, nolo equidem diffiteri; quem augeri in me sentio, quòd luctus & tristitia mentem his diebus in varias alias cogitationes distraxerit, ut alia ex aliâ in magno animi motu & perturbatione solet oriri. Nolo enim dissimulare, me summopere fuisse perculsum, cùm nunciaretur præteritâ nocte, Virum tantum, quem tenerrimo semper affectu fui complexus, atque non secus ac filius Patrem sum veneratus, cui præcedente vesperâ nondum extremum Valere dixeram, quòd inani spe meipsum lactans, sequenti die vivum spirantemque me visurum putarem; vitam hanc caducam cum cœlesti & perenni commutâsse.

Quòd si vel reliqua omnia abessent, arctatum tamen his brevibus dierum cancellis tempus non permisit, ut omnia, quæ dicerem, ritè examinare, & quæ in chartam conjeceram, sedatâ & attentâ mente expendere potuerim. Unde nullo fultus adminiculo, solâ necessitate dicendi nixus, cùm ad laudandum VIRUM tanti nominis, tantæ doctrinæ ac facundiæ, tantæ Pietatis & Virtutis, me

me accingo, vereor, ne illa omnia contra me, quaſi agmine facto, conſpirent, meque vel turpi ſilentio cogant ſuſceptam provinciam deſerere, vel infantiam meam prodere, quâ magis hujus inſignis Senis laudes deterantur, quàm explicentur. Sunt tamen hìc quædam, quæ me ſolantur, & animum, qui ferè exciderat, recipere jubent. Primum veſtra omnium, Auditores, benevolentia, quâ & me, & inprimis defunctum noſtrum ſoliti eſtis proſequi, id à vobis mihi promittit, ut, ſi quando titubavero, benignè mihi & in dicendo parùm exercitato & mœſtitiâ confecto condonetis, ſi tenui ſermonis veſte virtutes & dignitatem Viri involvero, putetis, tantò meliùs illas per vile hoc rudeque, quaſi philoſophicum palliolum, pellucere, & veſtris oculis ſe ingerere poſſe, non ſecus, ac ſi hominis pulcherrimi corpus tenuiſſimo ac rariſſimo amictu involvatur, ut recta ejus & toroſa membra roſeo colore micantia tantò accuratiùs queant ſpectari.

Sic & veſter benevolus in me animus, & Viri excellentia, adeóque argumenti, quod tractandum eſt, dignitas me ſublevabit, ut in hanc toti converſi, verbis, non ſatis ad amuſſim exaſciatis, faciles vos ſitis præbituri, præſertim, ſi cogitetis, hoc onus à me non potuiſſe honeſtâ quâdam ratione declinari. Suadebat id pietas in defunctum,

 quæ

quæ ſpero efficiet, ut nihil ſim dicturus, quod non ad ejus exiſtimationem conferre nonnihil exiſtimem; acceſſit auctoritas unanimis Senatus, quam conſanguineorum comitabatur voluntas, quæ omnia his neceſſitatis vinculis me conſtringebant, ut effugere non potuerim, quin hunc locum hâc horâ conſcenderem. Nolite tamen exſpectare à me, AUDITORES, ut in vitâ & laudibus HEYDANI explicandis me diffundam, & omnia, quæ dici hîc poſſunt, verboſius ediſſeram; unde velim, ut ſi cui tacito quædam occurrant, quæ à me fuerint ſilentio præterita, non tam id neglectum, quàm ſepoſitum cenſeat. Nam & tempo is mihi rationem habendam duxi, & veſtrâ benevolentiâ non abutendum; idque ſollicitè mihi cavendum exiſtimo, ne prolixa nimis oratio faſtidium pariat & ſatietatem.

Hiſtoriam igitur vitæ peractæ, quàm breviſſimè potero, recitaturo, non tam unde exordiar difficile, quàm quâ ratione finiam, ne nimiâ prolixitate auditores obtundam, nec tamen omittam ea, quæ omnes æqui rerum æſtimatores judicaverint, ad laudes defuncti præ cæteris pertinere. Ortum dedit Francothalia in medio ferè Palatinatu inferiore ſitum oppidum, quod non niſi ante 35. annos cœptum erat exſtrui indultu & auſpiciis Sereniſſimi Electoris Palatini, qui ob religionem extorri-

ribus hunc locum refugii, in quo commodiùs exilii tædia tolerarent, conceſſerat. Atque hoc ipſo nomine urbs illa præ aliis ſe commendat, de cætero amœniſſima, vallis, portis & propugnaculis egregiè munita, plateis inprimis omnibus pulchrè in forum rectâ directis exornata, trium Eccleſiarum, Belgicæ, Gallicæ & Germanicæ acceſſione locupletata, & omni opificum genere frequens, celebrata quoque colloquio illo, quod juſſu Principis inter Reformatos & Anabaptiſtas interceſſit. Huic natales ſuos debet is, cui nunc mœſti damus inferias. Quamvis autem idem ſæpe natale ſolum obtineant boni cum malis, plerique tamen ſapientes judicârunt, clima, & ſitum ſalubrem, atque amœnitatem loci & ſimilia aliquid ad felicitatem poſſe conferre momenti, ſi quis iis rectè fuerit uſus.

Decus addit majus longa proavorum ſeries, & genus avitum, quòd majorum laudes poſſint calcar addere poſteris, ut monſtratam viam Virtutis & feliciter à majoribus emenſam intrepidi ſequerentur. Proavus illi fuit Gerhardus vander Heyden, antiquâ & honeſtâ familiâ natus Mechliniæ, celebri Brabantiæ urbe, cui ortum debet μακαρίτου noſtri Avus, Caſparus vander Heyden. Hic in juventâ literis imbutus, antequam plenè eas imbibiſ-

ſet,

ſet, fervente perſecutione contra eos, quos Lutheranorum & Novatorum traducebant nomine, incidit in N. Teſtam. libros, ex Lutheri Germanicâ verſione in Belgicam linguam translatos, cum quibus conferens hæreticorum, ut vocabantur, opiniones, comperto, eas cum Spiritus Sancti ſenſis accuratè convenire, non detrectavit veritati agnitæ dicere ſacramentum, eámque conſtanter, abnegato Patre, (qui hoc nomine filium domo exegit) abnegatâ Patriâ & conſanguineis, uſque ad finem vitæ eſt profeſſus. In hac ulterius confirmatus, cùm nihil omitteret laboris, nihil induſtriæ, quò in ea proficeret, Eccleſiæ Antwerpienſi præfectus fuit, ut eam cœleſtis doctrinæ rore irrigaret, atque inter primos contra idololatriam, ſuperſtitionem & errores Papatus muniret. Cui muneri vacavit tamdiu, quàm per diriſſimam perſecutionem, quâ Magiſtratus illâ tempeſtate, diriſſimis Caroli V. & Philippi I. edictis propoſitis concitati, fideles affligebant & vexabant, liceret, ſed Prætori, vulgò De Marck-graeff dicto, per proditores indicatus, deſignatæ etiam ædes, in quibus cum uxore, quam nuper duxerat, commorabatur. Ille igitur ædes adire, omnia luſtrare, ſcrinia & ciſtas recludere, ſed fruſtra; latebat enim Caſparus in ultima ædium parte, in loco ſeceſſus, obſerato oſtio, atque

in

in genua prolapſus divinum auxilium in hoc re-
rum articulo implorabat; & quamvis lictorum
alter caput feneſtræ inſeruiſſet, unde eum flexis
genibus orantem poterat videre, non tamen pro-
didit, quod vel glaucoma divinitùs ejus oculis
fuerit objectum, vel miſericordiâ duceretur in-
ſontis. Sic re infectâ diſceſſit Prætor, nemine ex
ſuis relicto, qui cuſtodiæ & inſpectioni ædium
vacaret. Voluit enim hunc Deus è manibus Ty-
rannorum liberare, ne in avo periret, à quo tanti
Eccleſiæ & Academiæ Lugduno-Batavæ exſpe-
ctandi erant fructus. Ita avus è manibus iſtarum
Harpyarum elapſus ad exemplum Pauli & ipſius
Chriſti, antequam hora huic deſtinata veniſſet, fu-
gâ ſibi conſulendum, omnium amicorum ſuffragiis
confirmatus, cenſuit. Comitatus ergò uxore ſo-
lâ, Catharinâ van Houtenheym, & reculis ſuis fi-
dei Seniorum iſtius Eccleſiæ commendatis,
Francofurtum profectus fuit, ubi exulum magnam
reperit copiam, quos cùm rigidiores Lutherani
ferre nollent, duce Petro Datheno impetrârunt ab
Electore Palatino Friderico II. monaſterium,
Frankendal dictum, quod, cedere juſſis mona-
chis occupârunt, & tandem in urbem ejuſdem no-
minis commutârunt, ſacra ſua linguâ Belgicâ per-
agentes. His exulibus inſtruendis, cùm præeſſe
amplius eis non poſſet Dathenus, Heidelbergam

 ab

ab Electore vocatus, destinatus fuit Casparus van der Heyden, avus, qui lubens vocationi huic subscripsit, & nihil in se patiebatur desiderari, quod Ecclesiæ huic fovendæ augendæque servire videbat. Interea ab Embdensibus ad Synodum Nationalem, quæ 71. præcedentis seculi anno in isto oppido habita fuit, consiliis suis juvandam evocatus fuit, quò ubi se contulisset, Præsidem istius Synodi conscripti pastores creârunt, in quâ canones disciplinæ Ecclesiasticæ sanciti sunt, quibus Ecclesiæ imposterum uterentur. Horum autographum etiamnum habetur in supellectile literariâ beati nostri, ut ipse sæpius testabatur cùm in vivis esset, subscriptis nominibus eorum, qui Synodo intersuerant, munitum.

Reversum paulò post ad suos Elector, (cùm exercitum mitteret sub ductu filii natu maximi Christophori Palatini & Ludovici Nassovii, ut suppetias rebus Belgarum afflictis ferret,) apposuit filio, pietatis & morum Magistrum; qui cæso exercitu fugâ in Hollandiæ interiora se recepit, & Synodo secundæ Nationali, quæ anno seculi prioris LXXIV. Dordraci fuit habita, præfuit. Expetitus postea à Middelburgensibus, postquam operam suam illi Ecclesiæ aliquamdiu navâsset, denuò suis Antwerpiensibus restitutus fuit, tutum se fore ratus, Gandavensis, quam vocant, Pacificationis fide, quos

verbi

verbi divini pabulo cibavit, donec urbe illâ Parmensi deditâ tutiùs sibi fore censeret, si in Palatinatum rediret; ubi ab Electore Palatino benignè exceptus, primùm Bacheracensium & terræ illius tractus Episcopus, Superintendentem vocare solent, constitutus fuit, dein à Francothalensibus revocatus cùm esset, amor istius Belgicæ Ecclesiæ tantum apud illum valuit, ut omni neglectâ morâ, operam suam illi addixerit, etsi lautiorem conditionem cum minùs lautâ sibi permutandam sciret. Sed aliter longè tunc Deo visum, qui illum, dum totus in eo erat, ut iter primo quovis die susciperet, morbo immisso ad se evocavit, & conditionem terrestrem cum cœlesti commutare jussit. Bacheraci igitur mortuus, postquam 56. vitæ annos fuisset emensus, & in templo majori, quod super monte est situm, sepultus fuit. Francothaliam verò, ut videtur, postea profecta uxor, ut olim, exilium dum eligeret spontaneum, comitata fuit maritum, ita nondum finito anni spatio in cœlestem patriam fuit subsecuta.

Nolim autem vos exspectare, Auditores, ut æquè multa de Patre nostri defuncti recitem & prolixitate nimiâ vestras aures gravem: alia erant, avo vivente, tempora, quàm, quæ postea fuerunt subsecuta; illa majorem occasionem re-

bus fortiter & prudenter gerendis dederunt, quas, dum ab avo geſtas proſecuti ſumus, ſumma tantùm capita delibavimus, variis omiſſis, quæ tanti non videbantur momenti.

Huic igitur Seniori Caſparo vander Heyden unicus ejuſdem nominis filius natus fuit anno æræ vulgatæ ſupra milleſimum quingenteſimo ſexageſimo ſexto, qui ductâ domum Clarâ van den Borne, uxore, fœminâ lectiſſimâ, Johannis van den Borne, primarii Francothaliæ Prætoris, & Claræ van den Bare filiâ, ex ea ſuſcepit filios ſex & octo filias. Octo numero liberi ante Patris obitum lumina clauſerunt, reliquis ſex poſt fata Patris ſuperſtitibus, filiis Abrahamo, Johanne, Daniele, filiabus Clarâ, Johannâ, & Catharinâ, quibus omnibus ſuperſtes fuit Abrahamus. Hujus Pater Caſparus vander Heyden præconem verbi Divini primum egit Wolmersheymi, dein Francothaliæ, tandem Amſtelodami, 18. annis vertentibus, ubi & obiit, & corpus humo mandatum in Veteri, quod dicitur, templo. Ubivis gratus fuit ſuis auditoribus, quos ſincerè amabat, & in doctrinâ, quæ eſt ſecundùm pietatem, fideliter informabat. His parentibus Caſparo van der Heyden, & Claræ van den Borne originem ſuam debuit Magnus ille Noſter Abr. Heydanus, quem nunc ſublatum ex oculis noſtris lugemus, & quærimus. Natus

Francothaliæ, Anno salutis reparatæ juxta æram vulgatam cIↄ Iↄ xcvii. prid. Cal. Augusti stylo veteri, cujus ibi usus erat, qui dies est decimus Augusti styli novi, quo nos utimur. Infantia ejus admodum molesta accidit matri, quòd infans ipsius continuis morbis & acribus doloribus, sine ullâ intermissione divexaretur, unde tota domus ploratibus ipsius personabat, & omnis quies domestica turbabatur, quod huic postea mater sæpe solita est narrare. Ita mox expertus est, ad quid vocatus esset in mundum, ad lugendum nempe tum suam, tum cæterorum mortalium miseram sortem. Misertus tamen paulò post ejus fuit Deus, & quem ad magna destinaverat, noluit primo succumbere morbo, sed ostenso Apostemate, quod erat in dextrâ aure, postquam incidi illud curâssent, dolores sunt sedati.

Emicuit autem mox ingenium hujus excellens & promtum, quod primis annis puerilibus facetiis & jocis matrem oblectare, ejusque severitatem subinde temperare solebat, quâ ratione factum, ut matri præ reliquâ prole esset in deliciis, sicque compensaret illud tædium, quod ante ex ejus doloribus contraxerat. Curam igitur singularem impenderunt huic suo filio Parentes, quæ cùm ex voto succederet, & primum tirocinium, quod addiscendis primis literarum ele-

elementis impenditur, feliciter evenisset, Pater destinabat eum altioribus studiis. Sed cùm Francothaliæ nondum ludus literarius, in quo Latinæ docerentur literæ, apertus esset, nec valetudo permitteret, ut ad alia loca ablegaretur in quibus has ediscere posset, Divina providentia monstravit viam. Dei enim consilio & gubernatione sapienti factum est, ut Anno seculi hujus octavo Pater Nostri Amsterodamum evocaretur ad lucrandum animas eorum, qui in hoc totius orbis Celeberrimo Emporio lucrandis nummis erant intenti. Lætatus igitur Parens, quòd quam frustrà hoc usque in tempus desideraverat, divino munere sibi ostensa esset occasio, filium hunc suum dilectum egregiis præceptoribus, qui in istâ urbe ad vetus, quod dicunt, latus juventutis curam publicâ auctoritate susceperant, informandum tradidit; piè & prudenter judicans, ingenium, quantumvis illustre, si incultum jaceat, vel vilescere vel ad malas artes divertere solere, culturam autem debitam adhibitam (sicut in arboribus dum exercetur, gratos cultori præstat fructus) vim animis insitam magis prolicere, & ad maturitatem producere. Commissum erat tunc regimen istius Scholæ Matthæo Slado Anglo-Britanno, Viro in omni literaturâ versatissimo. Ille ut erat severus morum exactor, & ingeniorum peritus

æsti-

æſtimator, hæc eâ arte ſolebat gubernare, ut excitatâ attentione, clarâ adhibitâ, & ad eorum captum accommodatâ inſtitutione, quæ vellet præcipere & inſinuare poſſet, ut Noſter ſæpiùs, cùm ab ore ejus penderet, res ignotas non demum addiſcere, ſed meminiſſe ſibi videretur. Feliciter igitur brevi temporis ſpatio ex inferioribus, ut vocant, claſſibus emerſus, per quas vel circumduci vel diutius, quàm par eſt, iis immorari crux eſt, & tenerorum ingeniorum tormentum. Huic Viro ſe totum commiſit, ratus, dum omnia nova occurrerent, novus vultus, alia vox, Socratica docendi ratio, major proficiendi ſpes, ſe in novum orbem delatum, in quo animum diſcendi cupidum abundè expleret. Et amabat Præceptor iſte novus efflictim eos, quos eruditionis avidos videbat, & verbis, quæ cœlo aliquem dignum efficere poterant, excitabat, ut univerſæ ipſius ſcientiæ ſe hæredes futuros diſcipuli æſtimarent; & hic diſcipulus ſingulari amore deperibat hunc ſuum magiſtrum, à quo ſitim eruditionis ſic ſenſim impleri animadvertebat. Macte hoc animo, Heydane, paratus tibi eſt aditus ad altiora Muſarum domicilia, ſcande illa & ſupera magnâ animi alacritate, parata tibi eſt gloria, paratus honos, parati ſunt fructus eruditionis dulces, quos brevi poſt tempore carpes, fere-

ris

ris omnium ore, mirabuntur boni, invidebunt improbi, lætitiâ ſolidâ animum tuum paſces & explebis. Hæc tua erat felicitas, quam Divino muneri, quâ eras erga Deum pietate, acceptam ferebas. Infelices verò hac in parte meritò dixerimus illos, quibus ii morum & ingeniorum contingunt magiſtri, qui nullum ingeniorum facere delectum, nullam iis ſe accommodandi nôrunt artem, omnia verò eodem tractant vel rigore vel indulgentiâ, arte neſcio quâ pædagogicâ, quam ab Orbilio didicerunt, utentes, veræ, quam ſequi debent in formandis tenellis ingeniis, viæ ignari! quò fit, ut vel tædium & odium erga literas excitent in plurium animis, vel, ſi quibusdam generoſior obtigit ſpiritus, ut has moleſtias ſpe fructuum ſecuturorum devorare ſuſtineant, ingenia eorum hâc ſuâ imperitiâ non parùm obtundant, ſaltem retardent, ut majori temporis jacturâ ea demum percipiant ſeris annis, quæ diu antea didiciſſe oportebat. Noſter verò brevibus annorum intervallis tirocinio hoc defunctus, ad ulteriorem animi cultum ad Academiam Lugduno-Batavam amandatus fuit: Movit enim patrem ejus vicinia, & Doctorum, qui in ea profitebantur, celebritas; nec enim metiebatur ex celebritate loci Doctores, ſed ex famâ & meritis Doctorum loco nomen conciliari judicabat. Quia verò Theologiæ

giæ deſtinabatur Abrahamus Heidanus, tradi-
tus fuit in diſciplinam Danieli Colonio Colle-
gii Gallici Regenti, & Eccleſiæ Belgicæ Paſtori
eloquentiſſimo, Viro perſpicaciſſimo, doctiſſi-
mo, & qui cum ſeveritate quâdam eximiâ ſuavi-
tate animi temperatâ, nutu & oculis magis,
quàm verbis & faſtu Pædagogico Regentis par-
tes explebat; quod elogium eſt, quo illum, dum
viveret Noſter, exornare ſolebat. Movit Paren-
tem quæ inter illos intercedebat amicitia,
quæ à teneris unguiculis fuerat ſancta & poſtea
conſtanter conſervata, ob ſocietatem tum pro-
fectionum, tum ſtudiorum, tum etiam muneris,
quo in unâ Eccleſiâ ambo fuerant functi, aucta
animorum conſenſu, & conſiliorum ad pacem
Eccleſiæ conſervandam conſpiratione & con-
cordiâ. Vigebat illo tempore ob diſcrepantes de
Prædeſtinatione ſententias non tantùm inter
diſſentientes magna contentio, quæ animos à ſe
invicem alienabat & disjungebat, ſed etiam in-
ter ὁμοψήφους & idem de controverſiâ illâ ſentien-
tes obſcura quædam diffidentia, quâ locus da-
batur ſuſpicionibus, quibus alii alios, tanquam
bonæ cauſæ minùs addictos differebant. Qui enim
ferventioris erant ingenii & omnia ſumma ten-
tanda in initiis putabant, ut in herbâ opprimere-
tur malum; quoſcunque videbant moderatiùs &

lentiùs agere, ac de reconciliatione animorum potiùs laborare, si vulnus fortè posset consolidari ac schisma, quod ad opera carnis pertinet, evitari, eos tanquam prævaricatores bonæ causæ apud plebem criminabantur.

Inter illos, cùm censeretur quoque Colonius, à multis insimulabatur Pater, quòd filii tenellum animum huic Viro formandum tradidisset; quo sinistro judicio tantum abest, ut à sententiâ suâ fuerit dimotus, ut potius hoc ipso in consilio, quod inierat, probando fuerit confirmatus, consensus sui cum amico antiquæ fidei testimonium sic clarissimum exhibiturus. Florebant eâ tempestate Leidæ maximè studia Eloquentiæ & literarum sub auspiciis summorum Virorum Heinsii, Cunæi, Vossii. Horum fama volitabat per totum orbem, ut nemo censeret, se eruditionis nomine posse commendari, nisi his præceptoribus fuisset usus. Qui verò cum nostro illos dicentes meruit audire, & per vices, hunc Livium, illum Tacitum, istum Suetonium aut Florum explicantes, auctores ipsos loqui & seipsos interpretantes audire, sibi videbatur. In Philosophiâ tum regnabat Jachæus, Vir acutissimi ingenii, Peripateticorum sui temporis facilè princeps. Fervebat in Academiâ quæstio de formis substantialibus, earumque ex potentiâ materiæ productione, quæ

miri-

mirificè non tantùm Auditores, ſed & ipſum defenſorem earum acerrimum Jachæum vexabat & torquebat. Quam cùm, universâ diſtinctionum ſuarum panopliâ, expedire non poſſet, & ad liquidum oſtendere, quænam illæ formæ ſubſtantiales eſſent, à materiâ realiter diſtinctæ, & tamen materiales, quænam illa potentia materiæ, an pars ejus quædam converſa in formam, an verò ejus, cùm producitur, tantùm ſuſtentaculum, an autem, ut ex aſſere figura ſcamni educitur, ita eodem modo præexſiſteret in materiâ forma? cùmque aliæ plurimæ ſupereſſent difficultates, nec ullum ſuppeditaretur filum ex hoc Labyrintho emergendi, factum eſt, ut auditores & perſpicaciores diſcipuli, inter quos Heidanus primas obtinebat, de totâ hac Philoſophandi ratione, quam intelligendo aſſequi ſe non poſſe videbant, planè deſperarent, atque tempus iſtud, quod Philoſophiæ addixerant, longè tutiùs in Theologiæ ſtudio impendi, judicarent. At Heidanus noſter non deſpondebat planè animum, ſed, ubi lux aliqua ex Verulamii lectione, ſibi illuxiſſet, in familiaritatem Renati des Cartes, nobilis Galli, ſe inſinuavit, Henrico Regnero parario, quo in ædibus Colonii commilitone utebatur, poſtea Daventriæ & Ultrajecti Philoſophiam profeſſo.

Quæ verò ejus tunc audiverat, tantam ſitim iſta-

rum rerum pleniùs cognoſcendarum in illo excitarunt, ut nunquam potuerit illam plenè explere, donec abſolutâ ſuâ profectione in Germaniam, Galliam, & Angliam, poſt quinquenalem Naerdæ ſtationem, Leidam evocatus quotidianam ferè cum eo, tunc Endegeeſtæ commorante, haberet colloquendi occaſionem. Sed ſtatus Academiæ eo tempore, quo Leidæ diſcebat Heidanus, ob Theologica certamina de Prædeſtinatione, annexis quæſtionibus valdè erat perturbatus. Quæſtio enim ex quæſtione naſcebatur, & lis ex lite, & non rationibus tantùm & argumentis, ſed affectibus, irâ, odio, & invidiâ pugnabatur. A ſcholâ in Eccleſiam diſſenſio jam ſerpſerat, nec inter Profeſſores tantùm & ſtudioſos, ſed & inter Paſtores & auditores hæ quæſtiones agitabantur, & ventilabantur. Sic factum, ut ſtudioſi juvenes in partes diſtracti, & quæſtionibus illis quotidianis agitati, ſæpè, quò ſe verterent, neſcirent, & neglecto pietatis ſtudio, ille doctiſſimus haberetur, qui de quinque iſtis articulis argutè diſſerere & adverſarium argumentis irretire poſſet, ſecuri de reliquis fidei articulis cognoſcendis, quaſi in hoc ſolo omnis eruditionis culmen poſitum eſſet. Heidanum noſtrum non moverunt hæc certamina, ut propterea à veritatis tramite deflecteret; qui fretus præceptore ſuo

fide-

fidelissimo Colonio, & Professorum Orthodoxorum audiens recitationes & disputationes, superavit omnes difficultates ac eò usque provectus fuit, ut & has ipsas quæstiones probè calleret, atque Remonstrantium strophas evertere posset, & reliqua Theologiæ dogmata ad unguem teneret omnia. Ita à Classe Gallicarum Ecclesiarum, Anno seculi, in quo degimus, octavo decimo, in Ordinem Candidatorum Ministerii admissus fuit, donaque sua dicendi variis Ecclesiis Gallicis probavit, publicæ concionis tirocinio facto primùm Harlemi, postea etiam Delphis, Leidæ, Roterodami, Amstelodami, nec tamen neglexit etiam innotescere Belgicis Ecclesiis, in quibus sæpiusculè quoque publicè cum magno Auditorum applausu docuit. Artem enim concionandi egregiè à præceptore suo Colonio didicerat & ad amussim imitabatur vim istam dicendi, quæ erat in illo, quâ sublimia graviter, mediocria temperatè, vulgaria perspicuè, & de re quaque, non, quæ dici possent, omnia, sed quæ deberent, proferre nôsset, eáque eo vocis sono, qui rebus, quæ dicebantur, accommodatus esset, quique non submisso murmure intentionem debilitaret, sed in intermediis spatiis consisteret.

Quo ita hominum affectus ducebat, ut eorum

 quasi

quaſi pulſum tactumque vocibus exprimeret, & quos induere ipſe priùs viſus eſſet, in alios transfunderet. Geſtus verò ejus erat, non ſcenicus, ſed maſculus, univerſam rem & ſententiam non demonſtratione, ſed ſignificatione declarans, & virili quâdam laterum flexione, geſtum magis ad ſenſum, quàm ad verba accommodans. Oratio autem erat, non interrupta, ſed continua, non in multa membra & partes, & particularum partes ſciſſa & fracta, ſed velut arbor ſponte ex trunco enaſcens, & ex ſe ramos, folia, flores & fructus producens, planè ad morem Veterum compoſita, quibus celare artem, maxima ars fuit; quâ inſciis auditoribus ſcitâ quâdam Methodi κρύψει obrepere, aſſenſum extorquere, & ad partes ſuas traducere unicum operæ pretium fuit. Verba non potui invenire aptiora, quibus vim dicendi, quæ erat in Heidano, exprimerem, quàm, quibus ipſemet defunctus vivam effigiem præceptoris ſui delineavit; nec dubito, quin omnes, qui abſque affectibus judicare didicerunt, quique perorantem & concionantem, præſertim in flore ætatis, ſæpiùs audiverunt, me nihil à vero alienum dixiſſe, ſint exiſtimaturi. Talis cùm eſſet, ſuadebant amici, præceptores, & fautores, ut, cùm multæ Eccleſiæ iſtâ tempeſtate vacuæ deſiderarent antiſtites, in Hollandiâ

ſub-

subsisteret, exspectatâ vocatione ad ministerium verbi Divini in aliquâ ex istis exercendum, quòd sentirent, eum peregrinationem ad exteras regiones & Ecclesias meditari. At ille in omnia alia discedebat. Censebat, peregrinandi occasionem semel tantùm in vitâ solere offerri, hanc non negligendam putabat, quòd semel amissa reditura non esset, Ecclesiis judicabat per alios maturioris ætatis consuli posse, sibi priùs comparandam prudentiam ad Ecclesias regendas; quâ acquisitâ postea majori cum fructu commodis Ecclesiæ invigilare posset. Et sanè ex peregrinationibus, si quis rectè fuerit usus, multi fructus in vitam humanam redundare queunt. Celebratur Ulysses eo nomine, quòd multorum hominum viderit urbes & mores cognovisset. Veteres Philosophos scientiæ, & experientiæ comparandæ causâ ad exteras regiones esse profectos, Pythagoram puta, Platonem, Anaxagoram, Democritum, aliosve, ex historiâ constat. Corrigunt peregrinationes mores juvenum, asperos sæpè & feros, temperant animos, nec sinunt esse præcipites in reprobandis omnibus illis, quæ à moribus patriæ suæ fuerint aliena, imbuunt mentem sapientiâ, quam ex usu Virorum doctorum in aliis terris degentium queunt haurire, docent aliorum mores ferre etiam agrestes, & si usus ferat,

rat, cedere, muniunt pectus patientiâ in tolerandis adversis: peregrinanti enim tolerandi sæpè graves imbres, patiendum est frigus & æstus, ferenda fames & sitis, concoquenda dura barbarorum sæpè hominum responsa. Magnam inprimis ex peregrinationibus licet reportare prudentiam, quæ posteà toto vitæ cursu usui esse queat. Animo igitur Parentis expugnato, comitibus Antonio ab Harinckhouck juvene modestissimo, & eorundem studiorum socio & commilitone, Amstelodamensi posteà pastore, & Daniele de Marees, amico selectissimo, itineri se dedit. Vidit Coloniam, celebrem Ubiorum, & Imperii urbem, inde Bonnam Electoris sedem, alias, quæ in viâ Francofurtum tendente occurrebant, urbes. Francofurtum delatus vidit comitia Imperii, quibus Ferdinandus II. Romanorum Imperator electus solennibus ritibus fuerat inauguratus. Francofurto octo miliaribus distans Francothalia visendi sui desiderio eum illexit, ubi concionandi provinciam sibi passus imponi, auditorum lacrymis, nutibus, & gestibus se monitum deprehendit, quòd eundem illum locum premeret, ex quo olim Avus & Pater sæpissimè verba pro concione fecerant, quæ animum ipsius vehementi commoverunt affectu, quòd quasi jure quodam officium sibi debitum repete-

peterent, cui ut parem se tùm existimaret, non poterat à se impetrare. Sed quia eruditionis majoris & prudentiæ comparandæ causâ iter susceperat, judicabat, omne tempus sibi periisse, quod amicis dederat; festinato igitur cursu Heidelbergam petiit, viditque Fridericum Electorem in Bohemiam discedentem ad gubernacula regni Bohemici capessenda, & ad id asserendum contra Austriacorum impetum. Constituerat ibi aliquandiu figere sedem, sed nimiâ quorundam studiosorum petulantiâ, cùm more illorum depositionis, ut vocant, ineptiis defungi nollet, quod & à Principe interdictum, & sibi cum sociis à Paræo Rectore vetitum fuisset, coactus est brevi istam Musarum sedem relinquere. Atque mediâ licèt hyeme, mercatoribus ad nundinas Argentoratenses profecturis, quæ festo natalis Christi ibi celebrantur, viæ se comitem dedit. Hinc Basileam rectà contendit, lustrato in viâ Brisaco, nobilissimo Germaniæ munimento, atque quòd antiqua & insignis Academia illic esset, menses aliquot consedit, familiariter usus magnis Buxtorfiis, Patre & Filio. Jam Parentis jussu Genevam vocabatur, quò antequam veniret, totam obire voluit Helvetiam, & quidem pedestri itinere, quòd & ita pro lubitu moram facere in iis urbibus, quæ visu digniores aliis viderentur, &

minore ſumtu & exactiùs ſingula luſtrare & ad
quædam extra viam poſita loca digredi & jucun-
diùs inter comites amicos confabulari liceret.

Schaf huſiæ Cochium allocutus fuit, qui pau-
lò antè in Synodo Dordracenâ nomen decuſque
aliquod geſſerat, qui Magiſtratibus illius oppidi
auctor fuit, ut in hoſpitio donarentur vini optimi
aliquot amphoris, civitatis nomine. Tiguri ve-
rò vidit Scholas, Caroli Magni opus, & pulpita,
quæ olim Zwinglius, primus reformantium, &
qui ante Lutherum veritatis lucem Helvetiæ ſuæ
intulit, & Leo Judæ, Bibliander, Pellicanus i-
tem & Martyr preſſerant. Salutavit ibi Breytin-
gerum, qui Synodo Dordracenæ interfuerat.
Compellavit etiam Hoſpinianum, ſed parco ſer-
mone, quòd religio eſſet, tempus ipſius diu mora-
ri; at cum Waſero & Eglino Theologiæ Profeſſo-
ribus major diſſerendi copia offerebatur, quia à
Magiſtratibus in mandatis datum illis erat, no-
mine ſuo Heydanum cum comitibus lauto in pu-
blico diverſorio excipere convivio. Bernæ au-
divit concionantem Fabritium, virum eloquen-
tiſſimum; vidit inter alia Urſorum domicilium
ſaxis inciſum, qui hìc ſumtibus publicis aluntur,
ut à quo animali urbs nomen habet, perpetuò o-
culis uſurpari poſſit, & cives originis ſuæ mone-
re. Genevam ubi intravit, hoſpitem elegit Ni-
colaum

calaum Vedelium, Physices tunc temporis Professorem & posteà Prevostium, domiciliumque in istâ urbe ad anni ferè spatium fixit; intereà temporis Burgundiam quoque peragravit. De itinere, quod post discessum Genevâ secutum fuit, paucis verbis agemus, quòd illud admodùm fuerit festinatum; quippe 3. mensibus, vel paulò ampliori spatio absolutum, quodque proptereà in annotationibus à defuncto relictis vix aliud quid reperiamus, quàm quod ad descriptionem locorum faceret, cùm nostri instituti hîc sit commemorare præcipuè ea, quæ, quanti æstimatus fuerit à doctis Viris, cum quibus occasionem familiariter conversandi fuit nactus, breviter docere possint. Vidit in illo itinere lapsum Rhodani mirabilem, varias urbes magnificas, pulchras, nitidas, celebres, amplas, atque inter illas Salmurium Academiâ insignem, ubi, postquam aliquot dies substitisset, innotuit magno Cameroni, qui, genio ejus perspecto, dignum jam tunc judicaverat Theologicâ Professione & Cathedrâ. Hinc Parisios visitaturus in illo itinere vidit lapidescentes aquas, visitavit Aureliam, ubi cum viro humanissimo de l'Isle egit, cui à Camerone erat commendatus; circa vesperam verò suum & sociorum nomen in album studiosorum curavit referri, ut commodum

lo-

locum reperirent in curru Parisios tendente, quo
sequenti die properârunt; mansit ibi tanto tempo-
ris spatio, quantum requirebatur ad lustranda
omnia, quæ & Parisiis & in vicinis locis visu
digna poterant censeri. Parisiis discessit Rhotoma-
gum, inde Diepam, ubi iter Gallicum termina-
tum fuit. Secutum est Anglicanum, cujus occa-
sione vidit & perlustravit urbem, inter celeberri-
mas & amplissimas Europæ urbes memorandam,
Londinum, unde Cantabrigiam festinavit, quò vi-
deret celeberrimam promotionem, quæ singulis
annis peragi consuevit mense Julio; audivit Ora-
tionem à Procancellario Academiæ, Samuele
Wardo habitam, à meridie verò audivit quen-
dam, quem Prævaricatorem solent appellare, adeò
satyricè orantem, ut postero die ipsi fuerit pre-
canda venia coram omnibus, & abrogaretur ei o-
mnis honoris gradus, & ad quem evectus erat an-
tehac, & ad quem adspirabat. Omnibus istis
visis & auditis, quæ ad solennitatem promotio-
num faciebant, Oxonium tetendit, occasionemque
habuit similes ibi videndi promotiones. Hinc
perrexit Glocestriam, Bristoliam lustravit, &
non longè inde remota balnea totâ Angliâ cele-
berrima, Salisburiam item & Windesoriam alia-
que prope Londinum loca, ex quibus facilis
Londinum reditus erat; ubi postquam tamdiu
fuisset

fuisset commoratus, donec omnia, quæ videri merentur, oculis lustrâsset, rediit in Patriam, postquam ferè biennium in peragrandâ Germaniâ, Galliâ & Angliâ insumsisset. Amsterodamum ubi reversus fuit, exceptus est parentum & propinquorum summo cum gaudio. Sed non diu post reditum, cùm eruditio ejus rara, & insignis, Eloquentia mascula & Suada efficacissima passim innotuisset, à Naerdensibus invitatus fuit, ut verbi Divini præconio Ecclesiam instruere vellet. Qui metuentes, ne sibi paulò post à celebriore Ecclesiâ eriperetur, quòd insignis in docendo dexteritas & fides jam quibusvis esset cognita, petierunt, ut ad quinquennium se illis obstringeret. Verùm, cùm id obtinere non possent, erat enim libertatis amantissimus, legati, qui ipsum adierant, re communicatâ cum fratribus post aliquot dies reversi, & resecto illo vinculo, quo illum constringi nolle compertum habebant, denuò rogârunt, ut hanc operam jam sibi non denegaret, idque facilè obtinuerunt. Ad examen igitur admissus, quod vocant, peremtorium, examinantis personam sustinente Jacobo Laurentii, quòd abundantissimè satisfecisset præsentibus, omnium calculo ad ministerium admissus fuit, cui etiam postea more solenni per impositionem manuum & preces fuit consecratus.

Hoc ministerio ubi per quadriennium omni cum fidelitate & magno suorum auditorum funčtus fuisset fructu, afflictus graviter fuit morte genitoris optimi, quem, ut oculos suos amabat, qui in Christo piè defunctus est postquam annum ætatis quinquagesimum nonum confecisset. Sed recreatus posteà fuit, ubi fratrem suum Joh. Heydanum in ordinem candidatorum ministerii adscriptum esse, cognovisset. Sequente anno de matrimonio ineundo cogitationes suscepit, & duxit vitæ sociam Saram Looteniam, virginem lectissimam, mercatoris apud Amstelodamenses primarii Caroli Lootenii, & Mariæ de Hem filiam, ex quâ suscepit decem liberos, quorum sex præmisit ad patrem Spirituum & conditorem omnium Deum, ex quatuor superstitibus filia natu minor heri secuta est Patrem, eodem morbi genere extincta, reliqui tres lugent adhuc hodie piè defunctum. Post sponsalia celebrata, antequam conjugium more & ritibus hîc locorum receptis posset consummari, vocatus est ad ministerium Ecclesiæ Leidensis, inauguratus fuit 11. Julii Anni 27. supra millesimum sexcentesimum. Invenit ibi Festum Hommium, Colonium, Lud. de Dieu & Derramoutium, viros omnes, ut doctissimos, ita moderationis & pacis amantissimos, quibus cùm in omnibus consentiret, atque in quæ-

stione

ſtione tunc temporis motâ: An *illi*, qui ex Remonſtrantibus vellent iisdem nobiscum ſacris participare, nondum tamen in omnibus illis articulis, ob quos Remonſtrantes à nobis diſceſſerunt, eſſent ſatis confirmati, ad communionem nobiſcum poſſent admitti? ad affirmandum cum laudatis collegis aliisque moderatis viris eſſet proclivior, quàm ad negandum, nomen *Moderatorum* ſibi à malevolis impoſitum debuerunt ferre.

Quomodo hoc ſuo miniſterio hic fuerit functus, quantâ cum Suadâ animos auditorum ſibi devinxerit, quantâ moderatione fuerit uſus, quantâ prudentiâ, quantâ gravitate, non eſt, quod dicam hoc in loco, cùm plurimos ejus rei teſtes habeam præſentes, qui pro me hoc loquentur; adeò ut Soli putari poſſim facem præferre, ſi his commemorandis apud eos, quorum multi me melius nôrunt, diutius velim immorari. Naerdam cùm reliquiſſet, ſucceſſorem nactus eſt Johannem Fratrem, quòd paria multa cum fratre in ipſo Naerdenſes animadvertiſſent, cognitionem nempe rerum Theologicarum ſolidam, eandem animi moderationem, pietatem, prudentiam, benignitatem, eundem candorem, ſimilem eloquentiam, quæ omnia effecerunt, ut poſteà Roterodamenſes & tandem Amſterodamenſes

menſes eum præconio verbi Divini in ſuis Eccle-
ſiis præfecerint, in quâ urbe etiam mortuus eſt &
ſepultus. Noſter verò, poſtquam uſque ad annum
ætatis quinquageſimum vitam produxerat, ab
Harderovicenis deſideratus & vocatus fuit ad mu-
nus Profeſſionis Theologicæ in novâ, quam mo-
liebantur, Academiâ, cum munere Paſtoris jun-
gendum. Cujus ſui voti ut fierent compotes, va-
ria ſponte obtulerunt privilegia, quæ fruſtra ab a-
liis poſtulares; aditum liberis ejus facientes ad o-
mnes dignitates in Republicâ, & genero Diony-
ſio Crucio, pagi Haſerſoude concionatori, promit-
tentes vocationem ad Eccleſiam Harderovicenam,
ipſi verò libertatem, non ſæpius concionandi,
quàm ipſemet voluiſſet. Quo cognito Leidenſes
omnem moventes lapidem, ne Vir ille Excellen-
tiſſimus, cujus operâ tantos capiebat Eccleſia fru-
ctus & majora poterant redundare in Academiam
commoda, à ſe abſtraheretur, liberis eundem adi-
tum ad honores in Republicâ fecerunt, variiſque
argumentis aliis fuerunt uſi ad eum ſibi in perpe-
tuum devinciendum; Illuſtres verò & Nobiliſſi-
mi Dnn. Curatores juncto cum Ampliſſimis Dnn.
Conſulibus Leidenſibus conſilio, cùm per obi-
tum Nobiliſſimi Viri Conſtantini l'Empereur
munus Theologiæ Profeſſoris deſideraret ſucceſ-
ſorem, aſſignârunt hanc ſpartam ſuo per tot an-
nos

nos ſibi probato Heydano, qui Oratione facundâ, eleganti, clarâ, & ſolidâ, *de ſingularibus Scripturæ*, eſt inauguratus. Nec tamen hoc ipſum deterrere potuit exteros, quin allecti ſingularibus hujus Viri dotibus, quas fruſtra ſic conjunctas omnes in aliis quæſiveris, eum magnis conditionibus ſibi devincire fuerint conati; inter quos Sereniſſimus Elector Palatinus præ reliquis eminet; cujus voluntati & deſiderio etſi tunc noluerit obſequi, omni tamen clementiâ, favore, & benignitate perrexit eum complecti, hujusque benevolentiæ ſingularis ſigna publicè exſtare voluit, quando Heydanus cum familiâ Argentoratum usque animi gratiâ ante 22. annos profectus fuit. Dum enim Heidelbergam appulit, nihil omiſit Sereniſſimus Elector, quod non ferventiſſimum erga ipſum ſpiraret affectum. Ad menſam quotidie, novis ſemper miſſis nunciis, invitabat, in colloquiis benevolè complectebatur, donabat medio cervo & aliquot leporibus, nunciato, hanc omnem eſſe prædam, quam illo die cepiſſet; quæcunque in diverſorio cum familiâ conſumſerat, liberaliſſimè ſolvit, & cùm Bacheracum rediiſſet, ad ſuos Leidenſes reverſurus, magno dolio optimi & generoſiſſimi vini Bacheracenſis voluit donatum. Sed & Eliſabetha, doctiſſima illa Princeps, totaque domus Electoralis delectata eſt quàm maximè

ipsius & familiæ colloquiis & conversatione. Ar-
gentorati invitatus fuit à Professore Theologiæ
Smidio, ut secuturo die interesset Disputationi
publicæ sub Smidio habendæ; quod cùm ille non
detrectaret, Smidius ipsum palàm, non semel,
sed quia declinabat Noster, iteratis vicibus ad
opponendum invitavit; quod cùm non videre-
tur sibi salvo honore suo posse detrectare, eâ soli-
ditate, eâ efficaciâ Gratiam, quam Lutherani ur-
gent, Universalem ita oppugnavit, ut omnium
oculos in se converterit, & apud omnes præsen-
tes magnam admirationem suæ consummatæ e-
ruditionis excitaverit; Disputationis verò Præ-
ses multorum judicio parùm honorificè ex
illâ Disputatione discesserit. Non possum silen-
tio præterire; quod, dum Coloniæ initio itine-
ris aliquot dies subsisteret, in diversorio inci-
derit in familiaritatem Malincrotii Decani Mo-
nasteriensis, cui Monasteriensis ἐπισκοπὴ jure debe-
batur, Viri elegantissimi ingenii, qui inter li-
teratos primatum jure merebatur, hominis Pon-
tificiæ quidem religioni addicti, sed moderati,
qui etiam nunquam cum Heydano de religione
sermonem voluit cædere. Eram & ego tunc for-
tè Coloniæ amicorum salutandorum gratiâ, quo
tempore primâ omnium vice compellavi hunc
ipsum, qui non nisi de facie prius, dum Leidæ
stu-

ſtudiis operam navabam, innotuerat; ſocius ergò tertius adſcitus fui, qui cum duobus ſeculi hujus luminibus monachorum quædam collegia inviſerem. Accidit verò, ut poſtquam collegium luſtraveramus Jeſuitarum, & jam in areâ eramus conſtituti, ut Patribus valere diceremus, converſus Heydanus ad Jeſuitam qui nos ducebat, ex ipſo rogaverit, annon Jeſus omnia illa, quæ ad ſalutem eſſent neceſſaria, egiſſet & paſſus fuiſſet? ac Jeſuita nihil ſiniſtri metuens, reſpondiſſet: Omninò; Heydanus regeſſerit: Ergò vos non eſtis ſocii Jeſu; atque ſic illo in ruborem dato & attonito, ut ne verbum quidem reſpondere poſſet, diſceſſit noſter & nos cum ipſo, atque Patribus valere dixit. Quod Malincrotium tanto affecit gaudio, ut hoc nomine gratias ſolennes illi egerit, quòd ſic ſuos hoſtes (ita vocabat Jeſuitas) ad incitas ex improviſo redegiſſet. Alio quodam tempore cum fratre Johanne & filiis profectus in Brabantiam, Lovanii incidit in Lubertum Fromondum, Janſeniſtarum partibus addictiſſimum, quem interrogavit, quid facturus eſſet, ſi Papa cauſam Janſeniſtarum damnaret; ſed nihil aliud loco reſponſi tulit, quàm hoc: non poſſe in cathedram Petri id cadere; in quo quàm inſigniter fuerit falſus, vix eſt, qui poſſit ignorare. Non præterire debeo hìc aliquid memoratu dignum,

 quod

quod antehac Magno Nostro Heydano obtigerat, quod & mihi & aliis amicis sæpe narravit. Accessit ad ipsum post publicam pacem, Monasterii stabilitam, Vir quidam capillis & senio conspicuus, qui librum donavit, & inter alios sermones dixit: Pacem istam non veram esse pacem, sed ex ipso hoc Monasterio bellum illatum iri Belgicæ fœderatæ, quo hæc ad extremam angustiam sit redigenda, ut planè pro desperatâ haberi queat, sed mirabili liberatum iri modo, & ad illud culmen iri evectum, ut imposterum sit futura asylum afflictis Christianis; quâ de re liberum cuilibet relinquo judicium, quamvis non videam, quomodo possit dubitari, eventum jam vaticinii hujus partem confirmâsse, num & quæ futura restant, ei sint responsura, dies docebit. Nolo hic commemorare omnia, quæ dum utroque munere Ecclesiastico & Academico fuit functus, evenerunt; id enim prolixum foret nimis, & hujusmodi sunt, ut non indigeant à me narrari, cùm publica sint, & nemo, cui res Academiæ nostræ sunt notæ, ea possit ignorare; ad quæ refero certamina, quæ intercesserunt nomine Cartesianæ Philosophiæ, cum iis, qui non intellectam condemnabant. Hoc tamen non dissimulabo, Heydanum, quæ obtigerunt adversitates, ita tulisse, ut coram Deo se humiliaverit, agnoscens & ferens eas tanquam castigationes di-

vinitùs immissas, Deoque semet ipsum & omnia sua commendavisse, totum ab ipsius gratiâ & auxilio dependentem. Quam tolerantiam animi etiam exhibuit in omnibus aliis adversis, quæ omnem ejus vitam infestarunt. Sicut enim divitiis abundavit ex divinâ benedictione, idque ei commune fuit cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Patriarchis, ita multis æquè ac illi Deo carissimi viri adversitatibus fuit jactatus, quas tamen omnes feliciter superavit patientiæ clypeo munitus. Insigne verò vulnus animo ejus inflictum morte dilectæ conjugis, quæ obiit fatali illo Leidensibus Anno LXIX, Augusti die XV. Hunc in modum qui agit, etiam in mediis adversis felix esse potest: nec enim felicitas in externis & quæ fortuna concessit, sed in animo consistit: Et vera demum hæc est felicitas, felicitate dignum videri.

Ut verò ex historiâ vitæ nostri Abrahami patere potuit ejus patientia, ita & totum choragium virtutum facilè nobis inde conspicietur, quibus cùm mirifice fuerit ornatus, injurii videremur in ejus manes futuri, si eas tacito pede transire vellemus. Atque hìc primùm occurrit Pietas erga Deum, quam, cum larvatis quibusdam Christianis, & Pharisaismi typho inflatis Labadistis, & similis farinæ hominibus, non colloco in imaginariâ illâ perfectione, quam il-

li neſcii veræ & Deo placentis virtutis, ſibi ſumunt, putantes, ſe aliis longè præſtare, quos, cùm vident ignaros iſtiuſmodi ſimulatæ & affectatæ pietatis, quam in externis precibus, ſuſpiriis, geſtibus &c. conſtituunt, alto ſupercilio deſpiciunt; mihi verò Pietas hominis peccatoris erga Deum, quales omnes hodie ſumus, conſtituitur in verâ humilitate coram Deo, & reſipiſcentiâ, quâ peccata tua ſeriò agnoſcas, & gratiâ Chriſti & Spiritûs S. ab iis liberari cupias, in fide bene radicatâ, & non meritis propriis, ſed Chriſti ſolâ ſatisfactione nixâ. Hæc eſt illa Virtutum Regina, quâ ſingulariter coruſcaſſe Heydanum nôrunt omnes, qui ipſum nôrunt. Quoties enim de peccatis ſuis, de indignitate ſuâ coram Deo conquerentem audivimus! Quoties teſtimonia omni exceptione majora edentem de ſuâ in Deum & Mediatorem Chriſtum fiduciâ! Erat porrò beati hujus Viri pectori fax quædam divini amoris infixa, quæ noctes dieſque novis ignium ſuccreſcens alimentis ſuas undique terrarum flammas ventilabat. Amor ille eſt, quo vivunt Angeli, quo ſancti inardeſcunt, quo, quicquid eſt purarum in terris mentium, fovetur ac refocillatur. Hunc fontem omnis virtutis cùm ſic poſſederit piè defunctus, non mirum ex illo promanâſſe tanquam rivulos varia officia, quæ circa homines ſedulus exer-

ercuit, in quibus tamen non fiduciam ſalutis ſuæ collocarat ſtultâ ſuperbiâ, nec putabat in his terris ſe perfectionem conſecutum, quam noverat reſervari cœlis. Conſpiciebatur in ipſo ſingularis quædam humanitas & benignitas ſive charitas erga omnes, quæ ut omnia tegit, omnia ſperat, omnia credit, ita hoc in ipſo efficiebat, ut iis, qui offenderant, facilè indulgeret, nec ab ipſorum artibus ſibi adeò accuratè caveret, quòd alios, ex ſe illos metiens, putaret omnia eodem candore agere, quem præ ſe ferrent. Singulari verò στοργῇ ſuos ſive liberos, ſive affines, ſive conſanguineos, ſive alios, cum quibus fœdus amicitiæ ſanxerat, proſequebatur. Atque hîc recordor ejus diei, quando, intellectâ ſubitâ morte Colonii JCti eminentiſſimi & prudentiſſimi, Collegæ noſtri amantiſſimi, ex more convocabatur Senatus, ut, quid officii erga mortuum & relictos liberos exhibendum eſſet, deliberaremus. Vidimus enim & audivimus tunc noſtrum Heydanum tam tenero affectu commotum, ut præ ſingultu & lacrymis vix loqui poſſet, quibus & me ſingulariter affectum fuiſſe, memini. Quod jam olim pro ſigno bonitatis habitum fuit, adeò, ut inde promanarit vetus Græcorum diverbium: Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες. boni viri faciles ſunt ad lacrymas. Hæc indoles bona id quoque efficiebat, ut non, tanquam Eu-

clio

clio, ſuæ incubaret ollæ, ſed ex divitiis ſuis largâ manu diſtribueret tam publicè, quàm privatim, egenis & pauperibus; honeſtis quoque viris calamitate aliquâ preſſis promtam atque alacrem ſemper manum ad juvandum protendens. Inde natum eſt ſtudium illud ardens pacis & concordiæ, ad quod non tantùm ſe ipſum totum componebat, ſed alios quoque quâvis datâ occaſione incendere conabatur.

De cætero relucеſcebat in eo ſingularis quædam Gravitas, cum quâ juncta erat ingenii quædam amœnitas & comitas morum inſignis, ut ad ejus congreſſus facilis aditus omnibus pateret. Erat manſuetus, ſermone jucundus, in increpando placidus, in laudando erudiendi vim habens. Inter alias virtutes inprimis eluxit prudentia, cujus præſidio reliquæ virtutes, quas inſtar micantium ſiderum collucere videmus, ſummâ quâdam ſuavitate diſpenſantur, cui nunc explicandæ ulterius nolumus inſiſtere, quòd, dum hiſtoriam ejus vitæ traderemus, varia ejus obſervaverimus exempla. Nec erimus prolixi in laudandâ ejus ſummâ eruditione, quòd de ea in ſuperioribus per occaſionem verba fecimus. Quodnam enim diſciplinæ genus eſt, quod non attigerit? Quænam verò ſcientia ad Theologiæ cognitionem uberiorem faciens, in quâ non ſit verſatus, atque

ita

ita verſatus, quaſi in eâ ſolâ elaboraſſet. Ipſam verò Theologicam ſcientiam, prout ea in his terris percipitur, ita ſuam fecerat, ut, cùm eſſet Scripturæ interpres peritiſſimus & ratione ſciret dexterrimè uti, tot veritates Theologicas ex ſacris codicibus addidicerit, ut poſſet ejus animus pro vivo Theologiæ theſauro æſtimari. Memoriâ enim pollebat ferreâ, in promtu habens & Scripturæ loca, & Patrum Veterum dicta & ſententias, non ſecus, ac ſi recenter eas imbibiſſet; in quâ tamen habuit plures pares, paucos judicio. Quid verò memoria ſine judicio? ſed, ſi duo hæc ſint conglobata in uno homine, egregium quid efficere ſolent. His omnibus ſtudium indefeſſum uſque ad ipſam ſenectutem acceſſit. Proin cùm celeritate ingenii propter laborem & contentionem videretur poſſe carere, & labore propter ingenii magnitudinem opus non haberet, cùm tamen utraque in illo fuerint maxima, non potuerunt non ad ſummum Theologicæ eruditionis culmen, quò quidem licet in his terris eniti, illum evehere. Ac hujus quidem reconditæ ſcientiæ, ſi vis poſt fata ipſius ſpecimina, adi Orationes varii argumenti literis mandatas, lege examen Catechiſmi Remonſtrantium, evolve ſolidiſſimum & nunquam ſatis laudandum commentarium *de Cauſâ Dei*, Belgicè ante plures annos conſcriptum, (qui di-

 gniſ-

gnissimus videtur, ut in Lat. Linguam transferatur, ut ab exteris legi possit,) in quo adeò nervosè, adeò eloquenter partes Dei defendit contra hominem, ut Pelagiani & Semipelagiani nihil in hunc usque diem potuerint reperire, quo vires suas planè attritas & fractas queant restaurare. In libro verò aureo recens edito, qui de Origine Erroris inscribitur, habes ea fundamenta generalia, ex quibus studio aliquo accedente, possis quibusvis erroribus jugulum incidere & ad Orcum planè ablegare; quæ tamen utinam licuisset Venerando illi Seni particularibus erroribus applicare! non enim id à cujusvis manibus perfici posse, res loquitur ipsa. Hæredes verò sunt rogandi, ut, si quæ in scriniis ejus alia ab ipso deprehenderint relicta, vel saltem affecta, ea publico non invideant, ut plures ex hoc fonte ad nos deducantur rivi, quibus sitim nostram restinguamus. Tu verò, studiosa juventus, quæ te Reginæ scientiarum Theologiæ addixisti, imitandam tibi propone hujus Viri summi eruditionem, annitere ad sequendum ejus Virtutes, eandem calca viam, quam exemplo suo tibi monstravit, insiste ejusdem vestigiis, adora Patrem luminum, & supplici ab ipso contende pectore, ut conatibus tuis benedicat; non pœnitendam sic navabis operam; si ad prima non liceat ascendere, pervenies

nies ad ſecunda, ſicque laborem tuum non experieris fuiſſe inanem.

Ad extrema hujus Viri pervenimus, quæ planè reſpondent primis; qui enim piè vixit, impiè mori non poteſt. Die Martis, 27. Septembris circa veſperam, poſtquam pomeridianum tempus, ut ſolebat, legendo & meditando exegiſſet, conqueſtus eſt de frigore, quapropter focum ſibi ſtrui juſſit, ac mox febrem & ex eâ torporem deprehendit. Acceſſit languor, quem ut inſolitum nihil boni portendere Optimus Senex præſagiebat; ſed amici imputabant naturæ illarum febrium, quæ hoc tempore graſſantur. Per febres & languorem, nunc validiùs nunc remiſſiùs, infeſtatus exigebat ſeptimanam illam cum ſequente, die verò Solis, qui ultimum præceſſit, Medicus animadvertit aphthas, quæ tamen ex peſſimis non erant; & quia nocte inſecutâ commodiùs ſolito dormiebat & pectore liberiori ſpirabat, nondum videbatur malum adeò metuendum. Sed ſubſecutâ die Lunæ morbus eſt auctus, ac illum lecto affixit, & continuò ex illo tempore tantas ſumſit vires, ut vix momentaneam quietem Seni conceſſerit, ad ipſam uſque, quâ exſpiravit, horam.

Viſitatus interea temporis fuit à variis, ſed ubi quis præclara ipſius in Eccleſiam merita prædi-

caret, id averſabatur penitus, atque ſe cùm peccatorem agnoſceret, per ſolius Chriſti merita ſervari oportere dicebat. Nocte quâdam, cùm adeſſet ei nepos ex filiâ Conſultiſſimus Crucius, affirmabat illi, ſe de ſuâ vix cogitare reſtitutione, atque tum cœpit affari unum atque alterum, qui fortè adſtabant, ex liberis, & in univerſum omnibus concordiam, timorem Dei, juſtitiam, religionem commendavit, monens, ne unquam à vitiis abripi ſe paterentur; cumque ſomnum oculi non admitterent, quoſdam ex Pſalmis illi Crucius prælegebat. Conqueſtus eſt ſubinde, vi morbi in eas anguſtias ſe redactum, ut ipſe alterius ope, qui precibus præiret, haberet opus. In quo Reverendus Dn. Petrus van Staveren, verbi Divini vigilantiſſimus & ſolidiſſimus præco, ſubinde operam ipſi navavit gratiſſimam, quod æger gratiarum actione ſingulari teſtatus fuit. Poſtulavit poſtea fratrum Paſtorum alloquium, eique aptum fore judicavit diem Veneris inſtantem, qui Senatui Eccleſiaſtico habendo eſt addictus. Qui cùm illuxiſſet, avidiſſimè horam adventus exſpectavit, & cùm adeſſent, quotquot in Senatum eo die coiverant, viribus quaſi collectis, majori, quàm ſperari potuiſſet, vocis contentione, & animi præſentiâ atque ad gravitatem compoſito ſermone eos fuit allocutus, cujus ſumma huc redibat; Se, cùm per

æta-

ætatem inter ſeniores myſtas numerari poſſet, & ultra L. annos in miniſterio exegiſſet, confidentem ipſorum candori rogâſſe, ut & publicè & privatim, dum viveret ipſe, ſui in precibus rationem haberent, quo leniretur dolor inde conceptus, quòd ob morbi vehementiam preces concipere, ubi vellet, non valeret; nunc verò petiiſſe colloquium cum ipſis, ut ſi Deo viſum eſſet, ſe rebus humanis eripere, haberent, quo ſe mutuò ſolari poſſent argumento, quod extremum valere ipſi dicere fuiſſet conceſſum, ſi aliter Deo viſum eſſet, quod tamen non crederet, vel hoc ipſum aditum ad amicum reditum pararet. Teſtabatur verò, quòd in ſui miniſterii curriculo orthodoxiam & veritatem docuiſſet, quâ de re ſit certus, quòdque in eadem perſeveraret. Addebat, ſe nec eſſe Carteſianum, nec Coccejanum, quamvis cum utroque conſentiret; non enim ſe ſuſcepiſſe veritatem eo nomine, quòd Coccejus aut Carteſius eam docerent, ſed quòd illam in naturâ & in verbo Dei ſtabilitam deprehendiſſet, ſeque Chriſtum habere pro ſuo magiſtro; quòdque potiùs, quàm ut ſequeretur novos magiſtros, ſenſiſſet cum Calvino, Beza, Bucero, Melanchthone, Luthero & Zwinglio, cùm recentiores illos habeat pro æqualibus & coætaneis. Commendabat

 bat

bat illis pacem & concordiam, quod existimabat, se jure quodam ab ipsis poscere posse, quòd Ecclesiæ Leidensi ultra L. annos inserviisset; petebat ab iis ut cœtum hunc Leidensem, qui tempore sui ministerii satis pacificus fuisset, porro per vinculum pacis in eodem statu conservarent, addens, se posse hujus laudis testimonium ipsis dare, quòd sibi ab extremis cavissent; adjungebat, se nullam concipere spem ab hoc morbo convalescendi, nec eò minus pacato & tranquillo animo esse; quòd fastidiret mundum, cujus fastidium fuisset in se excitatum; repetiitque: hoc est mundi excitare fastidium! Sic valere ipsos jussit & Ecclesiam Leidensem. Respondebat Rever. Hollebekius omnium nomine, ultimumque valere dicebat verbis admodum appositis & venerationem spirantibus, quem secuti sunt singuli eodem affectu & dexteritate. Deinde omnium nomine preces concipiebat idem Rever. Dn. Hollebekius admodum congruas rei præsenti & ferventes. Post preces singuli maximo animi motu Venerando Seni valedicebant. Post eorum discessum visitavit ipsum Cl. Melderus; ego quoque cum Rever. Dn. van der Lee postea accessi, sed cùm valde fatigatum ex isto colloquio deprehenderem, neque mihi persuadere possem, instantem noctem futuram ipsi esse ultimam, brevibus verbis

bis & more antehâc consueto, quando ipsum sequenti die resalutaturum esse sperabam, valere jussi. Subsecutus Massisius, Medicus expertissimus, qui cùm ab ægro ita discederet, ut significaret, se dubitare, an crastino die vivum sit visurus, respondit, *hunc nuncium sibi non ingratum esse*. Posthæc cùm nepos ipsius Carolus Crucius deprecaretur, si quid forte per incuriam omisisset officii, quod ipsi debuisset, eâ arreptâ occasione, æger liberis omnibus præsentibus, & qui ex iis nati essent, valere dixit iis verbis, quæ accommodata erant ad singulorum sortem & conditionem, ut quilibet sibi convenientes admonitiones facile posset applicare, atque sic ipsis omnia fausta fuit apprecatus.

Miscuit deinceps sermones quosdam cum genero Cl. Burmanno de vitâ æternâ, ac inter beatam analysin nihil interesse nisi mutationem cogitationis; quod cùm hunc in modum Vir ille interpretaretur, quòd in cælis alius & longè perfectior esset futurus percipiendi & cogitandi modus; & hanc mutationem illud esse quod mortem vocamus, rogaretque, num hæc mens ipsius esset? affirmavit Optimus Senex, atque ex eo see reficiebat.

Cùm verò mentio facta postea esset ab eodem Burmanno Resurrectionis ex mortuis, admodum

ex-

extollebat myſteria religionis Chriſtianæ, dicens, hunc verum eſſe characterem veræ religionis, quòd myſteria contineret, ſine iis religionem eſſe meram Ethicam ad rationis normam ordinatam; atque eum in finem commendabat legi ea, quæ in libro de Origine erroris ſub finem fuiſſet commentatus.

Hinc juſſit ſibi prælegi 1 & 2 ad Philippenſes caput, quibus abſolutis dixit: Hìc Paulus meam cauſam decidit. Paulò poſt 25. Pſalmum cantari petebat, & finito verſu tertio rogatus, an ceſſandum, annuit. Sic bis preces, quæ prius fuerant oblatæ, ad illius poſtulata à Cl Burmanno fuerunt dictæ, quibus ſe non mediocriter refici oſtendebat. Paulò ante obitum adhuc ſemel ex lecto deductus fuit ad focum, ad quem tamen mox debuit redire. Eò reductus cùm eſſet, vix diſtincti quid poterat audiri, voce aphthis interclusâ, niſi quòd Moſis & Eliæ nomen intelligeretur; tandem rogavit, quæ hora eſſet, ac mox corpus manumque extendens inter ſuſpiria Rever. Hollebekii Alphenſis Paſtoris, placidiſſimè exſpiravit, poſtquam cœpiſſet numerari xv. Octobris, inter primam & ſecundam nocturnam.

Vixerat Annos LXXXI, menſes duos, dies quatuor, relictis liberis IV, quorum major natu filia Maria nupta primum fuerat Rever. Dn. Dionyſio

Cru-

Crucio, Paſtori primùm Haſerſoude poſtea Neomagi, ac poſt ipſius obitum Celeber. Fr. Burmanno Paſtori & Profeſſori S. S. Theol. apud Ultrajectinos digniſſimo; minor natu Sara, quæ Patrem VI. dierum intervallo eſt ſecuta, nupta cum fuiſſet Conſultiſſimo Brouwero Prætori hujus urbis Ampliſſimo, ſuâ morte dolorem dolore cumulavit; at major natu filius Conſultiſſimus Carolus Heydanus Actuarius hujus urbis laudatiſſimus duxerat uxorem lectiſſimam Virginem Jacobam Swanenburg filiam Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Pauli Swanenburgii Conſulis, dum viveret, hujus civitatis prudentiſſimi, quæ ante aliquot annos mortalitati ſatis fecit. Filius verò natu minor Johannes è primariis urbis Roterodamenſis negotiatoribus matrimonio junctus eſt cum Corneliâ filiâ Cornelii Schilperoort Actuarii Rhenolandiæ. Præter liberos vidit noſter Senex nepotes & abnepotes, quæ ſingularis Dei benedictio, ſuperſtitibus XIII. nepotibus & tribus abnepotibus.

Sic emenſus eſt prior illud iter, quod nobis emetiendum eſt omnibus, annorum ſatur & brevis vitæ. Fateor equidem ſi comparentur anni ejus cum iis, quos vivunt homines communitèr omnes, de brevitate ejus nos conquerendi jus nullum habere; at quævis etiam longiſſima vita,

ubi præterierit, nihil relinquit nisi sui memoriam; *Vixisse* jam dicimus Heydanum, quod verbum etiam de infante unius diei usurpamus. Quid verò si cum æternitate, quam jam ingressus est comparemus? nihil est nisi punctum, quod evanescit, hominis cujuscunque, etiam maximè longævi, vita. Ubi nunc es maxime Theologe? ubi es Vir incomparabilis? Quo me miser conferam? ubi te inveniam? frustra quæro in ædibus, frustra in suburbano; non invenio in Academiâ: non reperio in templo: exuviæ tuæ humo mandatæ sunt, at tu ipse evasisti in cœlum; ibi in choro es angelorum, ibi in medio animarum beatarum, ibi triumphas cum Christo Servatore tuo, quem medullitus hìc dum esses amabas; ibi te reperiam, ubi Dei voluntas me jusserit sequi. Quæ è terris sunt orta terra iterum accipit, in cœlum quicquid est cœleste revertitur. Hæc solida est consolatio, quâ Christiani superiores sumus Ethnicis. Hi necessitate se munitos putant fatali; lex universi est, ajunt, quæ jubet nasci & mori. Sic est, fateor; quid deinde? Si nihil mei post mortem remanet, an hoc me solari potest, quod relinquere debeo hujus vitæ gaudia? an avarus gaudebit, quòd relinquendæ divitiæ? luxuriosus, quod carendum voluptatibus? ambitiosus, quod honoribus? an hìc necessitatis cogitatio suppetias feret? an non potius exaspe-

aſperabit dolores, animo dum offertur; dum cogitatur, non tantum carendum, ſed neceſſariò carendum eſſe his omnibus? Homini, qui dum vixit, ludibrium & pila fortunæ fuit, forte hæc inde orietur conſolatio, quòd impoſterum non ſit ſubjiciendus ejus exagitationibus: at quàm illud, quicquid eſt, eſt exiguum! imò quàm vanum, ſi cogitetur, id ab omni ratione eſſe alienum! animas perire cum corporibus ratio improbat, Scriptura planè abominatur. Quid ergo, ſi, dum miſeriis hujus vitæ præ aliis fuiſti ſubjectus, non calcâſti iter virtutis? ſi non agnoviſti viam juſtitiæ; ſi non habeas ſponſorem, qui apud Deum vi ſui meriti pro te intercedat, qui impetret, ut cum Lazaro loco miſeriarum, quas dum viveres exantlâſti, ſolatio fruaris? Hîc vero præ Ethnico triumphat Chriſtianus, qui novit, aditum quidem ad mortem eſſe miſerum, (ſi cum morbis, ſi cum doloribus diu ſit luctandum,) mortem ipſam miſeram non eſſe, certò eſt perſuaſus. Novit, ſuum Vindicem vivere; in ejus meritis ſe involvit; novit nullum aliud nomen eſſe, in quo oporteat nos ſervari præter nomen J. Chriſti; certus eſt, ſibi remiſſa eſſe peccata, quòd pretioſo ſanguine ipſius omnia ſua debita ſint delera; videt oculis fidei amorem, quo eum ille amplectitur; videt expanſa ejus brachia; videt paratum ad ſe liberandum; ruit ergo

in ejus amplexus, mundana negligit, cœlestia tantùm spirat, sic ornatus & indutus excipitur à Christo candidatus immortalitatis & communione ejus fruitur; exspectans beatam corporis sui resurrectionem. Hæc solida est consolatio, quæ nititur ejus verbo & promissis, qui fallere est nescius, imò qui fallere nos non potest. Ita erga sponsum suum fuit animatus Heydanus; ita & nos animari oportet.

Tu ô Benigne Deus, indue nos virtute ex alto, sanctifica nostra corda, ejice Amorem mundi, imprægna nos Amore tui, pasce & solare pedo Verbi tui, duc nos in omnem veritatem, verbum tuum est veritas; indulge nostris erroribus, expunge debita, succurre infirmitati fidei, indue nos vestibus fragrantibus primogeniti ex mortuis, suscipe ad te, ut tecum simus & vivamus. Tibi, Clementissimum Numen, sit laus, honor & gloria in secula. Amen.

Errata.

Pag. A. 4. b. lin. 9. à fine lege *Philippi II.* Pag. B. 4. a. lin. 11. lege *tormentum, huic.* Pag. C. 2. b. lin. 4. lege *quinquennalem.* lin. 9. lege *& annexis.*

ÆTER-

ÆTERNÆ MEMORIÆ
Dignissimi Æternitate Viri
D. ABRAHAMI HEIDANI,
Qui
PATRE & AVO
Conspicuis Ecclesiæ Luminibus
NATVS,
Eorum Pia Vestigia tam fideliter pressit,
ut,
POSTQVAM PARENTES
Inquisitionis Technas & Diras,
Exilia, & Christiani Nominis contemtum,
Ipseque
Hominum malevolorum odia, obtrectationes,
Et quæ non fortunæ ludibria
Experti essent,
Omnesque in Ministerio consenuissent,
Continuata per successionem serie,
Centesimum Vigesimum & Octavum Annum
expleverit,
Ac
Quod vulgare non est
Lugduni in Batavis ultra unum & quinquaginta,
Et in totum
Vltra sex & quinquaginta, quos Pastor exegit,
annos numerare possit.
Ministerii laboribus fere ad extremum functus,
Nunc dura nunc Pacatiora tempora nactus,
Per laudes & convitia ivit,
Semper sibi similis.
Nec opprobria nimis extimuit,
Nec per Encomia inflari se passus est.
Pacis & Concordiæ summus amator,

Ecclesiæ Defensor strenuissimus,
Annos Octoginta & unum,
Menses duos, dies quatuor
Patriæ Ecclesiæ & bonis omnibus utilis
Pie, Generose, Candide
Sibi & Deo suo
Vixit.
In Fata Concessit
Ipsis Idibus Octobris ANNI M DC LXXVIII.
Christiano, forti & placido exitu,
Omnibus, Veritatis, Probitatis, Justitiæ
Rectique amantibus
Nullis temporum injuriis abolendam
Sui Memoriam reliquit.
Vivetque Ejus post Funera Virtus.
Hoc Monumentum
Ea qua par est Pietate, Reverentia ac sinceritate,
Nec fucatis sed quibus & adversarius subscribere debeat,
Elogiis
Amatissimi mihi & Amantissimi mei
AVI OPTIMI
S. F.
Ex maxima natu Filia Nepos
CAROLUS CRUCIUS.

In Obitum
singularis
Pietatis, Eruditionis, ac facundiæ
VIRI
ABRAHAMI HEIDANI
S. S. Theologiæ
IN URBE LUGD. BATAV.
Professoris, dum viveret, ac Pastoris Primarii,

Ad

CAROLUM CRUCIUM,
Dignissimum

AVO SUO NEPOTEM,
ELEGIA.

Ergone vixit avus, Cruci, tuus; oraque pressit,
  Quæ toties animum comminuere meum?
Illa silent: nigraque brevi condentur arena.
  Heu quantum eloquii vilis arena teget!
Parce tamen lacrimis, & justo parce dolori.
  Nil poterunt lacrimæ, nil tuus iste dolor.
Hæc data lex homini est. Quod nos aliquando sequemur,
  Quod Tibi monstravit sæpe, prævivit iter.
Sic placitum cœlo. Cœlo parere necesse est.
  Non hoc, quem luges, si queat, ipse neget.
Hoc docuit populumque suum, carosque nepotes:
  Hoc docet exemplo, qui prius ore, suo.
Hic te flere vetat. Monitum ne sperne supremum,

Hor-

Hortamen magni ſæpe ſecutus Avi.
Ille quidem interiit flendus populoque Tibique.
Me tua, me populi, me mea damna premunt.
Sed tamen interiit Senior: mortemque ſubivit,
Omni quam vita præmeditatus erat.
Eſt aliquid, didiciſſe mori; paſſuque volente,
Quando fata vocant ultima, fata ſequi.
Eſt aliquid, laudum titulis & honoribus auctum
Florentem multa prole videre domum:
Et natos, & perpetuos numerare nepotes.
In quorum ſerie, Carole, primus eras.
Illius hærebas lateri comes: Illius ore
Legiſti madidis ultima verba genis.
Num Tibi ſuccurrit ſupremæ noctis imago?
Quæ vox, qui vultus jam morientis erat?
Magno animo occubuit: vultuque, & pectore forti
Naturæ legi paruit, atque Deo.
Nec tamen occubuit. Mens eſt, qua vivitur: illâ
Vivit, & extremum vivet ad uſque diem.
Quod fuerat mortale, jacet. Populabile corpus,
Et tantum cineres oſſaque terra tenet.
Fama viri totum ſpatioſa perambulat orbem,
Altaque contempto ſcandit in aſtra rogo.
Dum Studiis conſtabit honos, dum Leida vigebit,
Doctorumque leget ſcripta, legetur avus.
In linguis animiſque hominum, per ſæcula, vivet.
In conſanguineis cordibus, inque tuo.
Utque ſit exiguum hoc: pro vita hac, vita perennis
Eſt data; qua majus nil habet ipſe Deus!
Sedibus adſcriptus ſuperis, cœloque receptus,
Debita cœlicolis otia lætus agit.
Hîc fortunatum nemus, arvaque luſtrat,
Quò ſibi commiſſas ante vocavit oves.
Hìc pace æterna fruitur. candentis olympi
Hîc admiratur templa, ſuumque Deum.
Ergo age, parce queri: nec eum vixiſſe putato,
Carole, cui vitam fama, Deuſque dedit.
Ingenium in terris: Anima æthere vivit in alto.
Hæc ſunt Heidani. cætera mortis erant.

EPITAPHIUM.

Heidanus jacet hîc, nostri facundia sæcli,
Ille senex Pylio proximus ore seni.
Quod fuit eloquio, fieri quoque debuit ævo,
Nec, nisi post totidem sæcla, quot ille, mori.

Aliud.

Non protritarum diffusa scientia rerum,
Ingeniumque capax, eloquiumque potens,
Relligioque, fidesque, & cum gravitate venustas,
Qua jacet Heidanus, contumulantur humo.

Aliud.

Hic jacet ille senex, quem, qui modo vidit, amavit,
Tam suavis blando fluxit ab ore Venus.
Divitias habuit magnas, animumque fruendi.
Sincera coluit relligione Deum.
Sorte in utraque modum tenuit. Si nomina quæris,
Hæc tegit Heidanum terra. Viator, abi.

De eodem.

Dicitur Amphion Thebas struxisse canendo,
Et lapidi lapides accumulasse novos.
Fallimur. Heidanus lapides & corda domando
Saxea, cœlestem constituit Solymen.
Hic igitur major tantò est Amphione, quantò
Terreno æthereum condere majus opus.

Petrus Francius.

IN TUMULUM

Viri per Belgicum Orbem Famigeratissimi,

D. ABRAHAMI HEIDANI,

S. S. Theol. Doctoris,

& Professoris in Illustri Academia Lugduno Bat. Primarii, ut & Ecclesiastæ supra Octogenariam Ætatem admirandi, per Annos ultra unum & quinquaginta, raro, vel nullo Exemplo,

Theologi totius quantum scimus, Belgii, Senioris, Ævi nostri Bezæ.

EPIGRAMMA.

Mortuus heu Populi Pater est, augusta Lycæi
Gloria, deliciumque Orbis & Urbis erat.
Mortuus HEYDANUS! satis est sparsisse per Orbem,
Vir Laudes superans, Invidiamque premens.
Non opus est verbis, Lacrymas singultibus addo,
Nam negat ad solitum Musa redire metrum.

Belgicè,

Mijn Noten sijn onsteld, mijn geesten sonder ader,
Mijn Zang-lust kan geen wijs, by 't sterven van een VADER.

Piis Manibus Venerandi Senis,
ipse graviter decumbens sic languidus parentabat.

Abrahamophilos.

CIPPUS
SUPER
Beatos etiamnum & ſacros Manes
Admodum Reverendi, Clariſſimi, Celeberrimi VIRI,
D. ABRAHAMI HEIDANI.

Lampada de medio raptam, vel Triplice ſeclo,
Pulvere conqueritur Virtus, nec ſtamina cenſet
Haud parcâ impragnata colo, dum vota ſuorum
Repputat, & vacuo diſpendia ponderat ævo.
Te facit immitem, Lacheſis, ſeu ſtamen adurges,
Et rapidum moliris opus, ſeu lenta *Sioni*
Vota trahis, ſacriſve indulges Pondera roſtris.
Aſt etiam immitis, geminæ dum vota Cathedræ
Præcipitas, rarumve annoſo Robore Tempe
Deformas, pompæ cladem molita ſenilis.
Si fas, *Leyda*, tuos tanto de funere luctûs
Ferali tentare tubâ, jam pulpita templi
Sudabunt ſalſos Cathedræ de ponte liquores
In clades animata ſuas, ſecumque revolvent
Cœleſtis fulgetra tubæ, laticeſve Sionis
Rupe ſuſurrantes, fœcundaque flumina lactis.
Jam, gratum velut orba Patrem, Nomenque verendum
Poſthuma progenies querulis ſingultibus urget,
Grex ſuprema meæ ſociabit vota Camœnæ,
Horreſcetque adytis planctus, Nomenque Parentis
Publica ſollenni reſonabit Nænia templo.
Ipſæ & Pieridum laurus viduata Colono,
Tabeſcenſque Helicon, & pallida rura Sionis
Triſte miniſterium! mœſtas ad buſta Cupreſſos
Component ferale decus, damnóque perenni
Non aquilam, aſt ipſum in ſuperos Heröa reponent.
Sed quoque, quid priſcos recolet ſuffulta triumphos
Cauſa Dei, viduata Ducem, currúſve Sionis,
Armataſve manus. Tantum ſuccumbite, Victi,

 Queîs

Queîs dextram hanc sensisse Deum est: pars maxima nobis,
Nobis pars Divina cadit; sed & invida Tantum
Lustrorum numero Lachesis violaverat ignem,
Damnâratque rudi. Batavæ sensistis Athenæ,
Et tu Cura viri, soliti Grex uberis orba.
Ora etiam nunc nota rapit, vultusve serenos
Pulvere corrugat, fulvos rigor impedit imbres,
Effusâ torpente manu. viduamur utroque
Munere, deserti, nî mens consulta reponat:
Stare quidem veri est, sed & Huic pars magna triumphi
Cedere, demeritâ rude cui permittit arenâ,
Majorem ve soli pretio jam vendicat astris,
Adde affine decus, geminæ confinia lucis,
Alternum molita jubar, nomenque proprinquum
Augustante rogo, diræ trepidabile Nocti.
Scilicet excidimus luci, nisi Providus Æther
Emeritos cineres redivivo Heroë rependat,
Illustresve animas, genus immortale Sioni,
Continuo referat cœlesti è semine partu.
Talia Defuncti placido sub marmore Manes
Accipiant, requiem gregis solidante Triumpho,
Et votum saturante Viri, dum Pondera anheli
Atlantis subit Herculeæ vis posthuma Turbæ.
Interea indigetes inter Mens cœlica cœtûs
Exultare polo, Superûmque applaudere Regi
Et luxum calcare soli. Tantum, æque Viator,
Has cape supremas loculi de pegmate voces.

Prosopopœia Defuncti loquentis,

Busta vi les. Seræ thalmum cognosce senectæ,
Quæ mundo secum vult pereunte mori.
Vixi, Hospes; quæ vita mihi, nec defuit orbi,
Æqua meis, Patriæ commoda, sancta Deo.
Hinc tumulo sit Pompa nefas; vis condere manes?
Dic tantum: ut merita es, sit, precor, umbra tibi.
Est pretium in superis. quantum meminisse piorum est,
Vos date signa Solo: nos meliora, Polo.

Compositus à
G. HUCHTINGIO. *SS. Theol. Stud.*

